

## 254.

*Bischof Gerung von Meissen weist Einwanderern aus Flandern das Dorf Kühren an und verleiht ihnen gewisse Rechte.*

1154 Nov. 22.

Gedr.: Schöttgen, Conrad 322 (nach einem Transsumpt des Bischofs Johann von Meissen d. d. Wurzen, 1514 Okt. 22).

5 Danach Cod. dipl. Sax. reg. II. 1,52.

In nomine sancte et individue trinitatis. Gerungus dei gratia sancte Misnensis ecclesie episcopus omnibus nomen domini invocantibus tam futuris quam presentibus in perpetuum gratia et pax a domino. Cum unum sit necessarium cum Maria in contemplative vite dulcedine intime quietis bonam, ymo optimam partem eligere, plerumque tamen  
 10 cogimur cum Marta in active vite amaritudine solliciti esse et turbari erga plurima. Non etenim tabernaculum foederis et archa testamenti domini tanto fulgore niterent, si non ea saga cilicina et pelles arietum rubricate et iacintine a turbine et a pluvia protegerent. Unde ecclesie dei non solum in his, que spiritualia et eterna sunt, a bono doctore vigilanter est prospiciendum, sed etiam in his, que carnalia et temporalia sunt, dominico gregi a  
 15 provido pastore sollerter est succurrendum. Eapropter notum esse volumus et nostri et posterorum temporum fidelibus, qualiter ego ob eternam mei memoriam strenuos viros ex Flandrensi provincia adventantes in quodam loco inculto et pene habitatoribus vacuo collocaverim et in stabilem eternamque et hereditariam possessionem tam ipsis quam omni eorum posteritati villam eandem, que Coryn dicitur, cum subscripto iure tradiderim.  
 20 Prefatis etenim Flandrensibus in memoriam et signum empte possessionis quatuor talenta et eandem villam cum octo et decem, cum omni utilitate, que nunc inest vel inesse poterit in futurum, mansis tam in cultis agris quam in incultis tam in campis quam in silvis, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in venationibus et piscationibus tradidi. Ex quibus videlicet mansis unum ecclesie cum omni decima eiusdem mansi concessi, duos  
 25 autem eorundem incolarum magistro, quem scultetum appellant, absque decima permisi. Reliqui mansi numero quindecim singulis annis triginta solidos, et pro iustitia, que zip vocatur, triginta nummos persolvunt. Omnium rerum suarum decimam preter apum et lini prefati homines dant et ter in anno advocato in placitis, que cum ipsis et apud ipsos cum paucis habiturus est, sumptus administrant. Due partes, que in placitis advocati vel  
 30 sculteti accesserint, episcopo, tertia sculteto datur. Theolonio in locis nostris sint liberi, nisi qui fuerint publicis negotiatoribus mancipati. Panes et cerevisiam et carnes inter se ipsos licite vendant, non tamen in villa sua publico mercatui<sup>a)</sup> insistant. Ceterum ab omni exactione episcopi, advocati, villici seu hominum reliquorum liberos eos reddimus. Et ne forte hec iura ipsis statuta in posterum violentur, banno nostro prohibemus et hec  
 35 testibus advocatis sigillo nostro firmamus. Herebordus prepositus in Worczin. Iohannes. Nicolaus. Henricus. Albertus<sup>b)</sup> canonici. Sifridus advocatus. Henricus de Plisna. Ministeriales. Alericus. Henricus. Petrus. Henricus. Iohannes. Odelricus. Conradus. Adalbertus Flans. Adalbertus Stanga. Waltherus. Actum anno domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, indictione tertia, decimo kalendas decembris, pontificatus  
 40 domini Gerungi anno primo; feliciter amen.

254. a) mercatu. Druck. b) Altenb. Druck.